

XVI. Quin ad Belgica Seminaria ferè soli illi admittuntur, qui humanioribus & Philoſophiâ abſolutis, idonei ſunt, ut ſtudio Theologico ſe adſcant; quod & ex mente Synodorum eſſe, haud obſcurum eſt.

Præterquam enim quod de ſola Theologia tradenda in Seminariis ferè mentio fiat, eam in admittendis ad Seminaria ætatem requirunt, ut facis appareat deſiderari adoleſcentes qui ſtudia humaniora abſolverint.

Synodus P. II. Cameracenſis requirit, ut Seminarii ſtudioſi ſint omnes *viginti* annorum. Synodus Diœceſana Mechlinienſis *tit. 20. cap. 3.* vult, ut in Seminarium ſumptu illius aſſumendi, ſint omnes *octodecim* annorum.

XVII. Hoc notorium & quotidiana experientiâ comprobatum eſt, à pietate, eruditione ac zelo Profeſſorum maxima ex parte dependere Seminariorum fructum; ac è Seminariis plerumque haberi Sacerdotes ac Paſtores Profeſſoribus tum in pietate, doctrina & zelo animarum ſimiles: ut propterea curandum ſit Episcopis aliisque qui Seminariis intendunt, ut Profeſſores pietate eruditione ac zelo animarum præſtantes præſtiant, ſi Paſtores iis qualitatibus inſtructos deſiderent.

CAPUT III.

Media temporalia Seminariis fundandis impendenda.

1. Primum medium à Synodo Tridentina ſuggeſtum.
2. Secundum medium ab eadem Synodo probatum.
3. Idem in Synodiſ Belgicis comprobatum.
4. Hac media non videntur habuiſſe ſucceſſum in Belgio.
5. Tertium medium in Synodo Tridentina probatum; illudque convenientius, nimium Beneficiorum ſimplicium incorporata.
6. Quare conveniat Beneficia ſimplicia Seminario uniri.
7. Quid de unione Beneficiorum ad collationem Episcoporum pleno jure ſpectantium.
8. Quid de Beneficiis Patronatus Laici; præſertim in Belgio.
9. Synodus Trid. vult difficultatem ſuper unione Beneficiorum judicio Episcopi terminari.
10. An à judicio Episcopi aliquando appellari queat?
11. In Seminariorum fundatione hodie intervenire ſolet auctoritas Regia; & quare.
12. Quatuor Deputati quorum conſilio in adminiſtratione temporalis Seminarii Episcopus uti debet.
13. Hi à Deputatis pro adminiſtratione ſpiritualis diſtincti; & quomodo in Synodiſ Belgicis fuerint ſex deputati nominati.
14. Habent dumtaxat votum conſultivum.



1. Synodus Tridentina enixè deſiderans Seminariorum erectionem, & juventutis in eisdem efformationem; unà tamen conſiderans magnitudinem ſumptuum, qui ad collegii fabricam inſtituendam, ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem neceſſarii ſunt, tria media, è quibus hi ſumptus haberi poſſent, propoſuit.

Primum, ea quæ ad inſtituendos vel alendos pueros in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata ſunt, eo ipſo Seminario applicata cenſeantur.

Hoc medium ante omnia impendi oportere, mandat Synodus P. I. Mechlinienſis; nec alterius medi meminit, ſed erigendi Seminarii certam rationem à Synodo Diœceſana conſtituendam decernit.

II. Secundum medium à Synodo Tridentina ſuggeſtum conſiſtit in applicatione alicujus portioſis ex fructibus in-

regis menſæ Episcopalis, & Capituli; & in penſione ſuper fructibus ſeu proventibus Dignitatum, Perſonatum, officiorum, Præbendarum, Abbatiarum, Prioratum, etiam Hoſpitalium in titulum conferre ſolitorum; item generaliter ſuper proventibus omnium congregationum & communiarum Eccleſiaſticarum, ſolis Ordinibus Mendicantibus, & Fratibus S. Joannis Hieroſolymitani exceptis.

III. Synodus P. I. Cameracenſis conformiter ad hoc medium à Concilio Tridentino propoſitum, præcipit, ut quamprimum fieri poſſit, modus conſtituatur, facta omnium Beneficiorum, atque eorum omnium, quorum Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 18.* mentionem facit æſtimatione quo ad hæc Seminaria ponenda & conſtituenda, ſufficiens contributio fiat.

Et deinde Synodus P. II. Cameracenſis rurfus mandat: Ut provideatur de ſumptibus ad ſupradicta, nec non ad ſtudioſorum alimoniam neceſſariis, ſinguli Episcopi cum dictis ſuis Deputatis quamprimum fieri poterit, portionem aliquam ex omnibus Beneficiis (ubi hæcenus detrahata non eſt) detrahant; quæ in ſolos uſus Seminarii convertatur. *Tit. 21. cap. 18.*

Hujus medi meminit quoque Synodus P. II. Mechlinienſis *tit. 21. cap. 1.* præcipitque, ut ſexageſimus denarius, aut plus minusve, prout videbitur Episcopo, eum conſilio eorum, qui ex Decreto dicti Concilii Trident. eidem ſunt adjuſtendi, è bonis Eccleſiaſticis in qualibet Diœceſi in hunc uſum applicetur.

Et in ſua Synodo Diœceſana anno 1609. Archiepiſcopus Mechlinienſis, "ex omnibus & ſingulis, bonis Eccleſiaſticis quæ ſecundum ſacrum Concilium Tridentinum ad contributionem pro Seminario tenentur, circiter ſexageſimum nummum annuatim contribuendum cenſuit, & contribui mandavit; donec alia ratione ita Seminario proviſum eſſe conſiterit, ut præſertim portionem in totum, vel ex parte remittendam eſſe judicaverit.

IV. Num hæc Synodorum & Episcoporum Decreta quoad applicationem hujus medi aliquem habuerint effectum dubito. Hoc ſat conſtat, generalem executionem illius medi, prout à Synodo Tridentina fuit propoſitum, non exiguis difficultatibus eſſe obnoxium. Quis enim neſcit, quam difficile, præſertim huic in Provinciis, Capitula, Abbatis, Monasteria, Hoſpitalia aliaque ſimilia corpora permittent, ut ſola Episcopali auctoritate, aut etiam Eccleſiaſtica quacumque auctoritate pars proventuum annuatim ipſis auferatur, & Seminario Episcopali attribuat; reſtatque Zypæus *Conſult. 3. De Magiſtris num. 5.* "hic detractionem per injuriam temporum ex proventibus Eccleſiaſticis ulquequaque fieri non poſſiſe.

V. Tertium medium à Synodo Tridentina propoſitum conſiſtit in unione ſimplicium Beneficiorum; illudque tamquam convenientiſſimum variis modis extendit.

Imprimis concedit aliquot Beneficia ſimplicia, cujuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtitutionia vel præſtitutionales portiones Seminario applicari & incorporari.

Permittit autem hanc incorporationem fieri *eſiam ante vacationem*; ſine tamen cultûs divini, & illa obtinentium præjudicio.

Uterius vult, ut incorporatio locum habeat, etiam ſi Beneficia ſint *reſervata*, vel *affecta*.

Declarat præterea, nec hanc incorporationem per reſignationem ipſorum Beneficiorum, uniones & applicationes ſuſpendi, vel ullo modo impediiri poſſe; ſed omnino, quacumque vacatione, etiam ſi in Curia effectum ſuum forſantur & quacumque conſtitutione non obſtante poſſe uniri.

Hæc ſat evincunt, enixam fuiſſe Synodi mentem, ut hoc medio Episcopi uti poſſent.

VI. Et ſane cum hæc Beneficia nec reſidentiam, nec aliquod perſonale Officium requirere ſoleant, exigua ex his utilitas aut fructus in Eccleſiam redundare contingit: ut propte-

propterea inter articulos nomine Caroli noni Galliarum Regis in Concilio Tridentino oblatos hæc eſſet vigefimus quartus: "Cumque plura ſint Beneficia, in quibus contra Beneficiorum inſtitutionem invaluerit depravata conſuetudo, ut qui ea poſſident nullo teneantur concionandi Sacramenta adminiſtrandi, aut alio onere Eccleſiaſtico, Episcopus cum conſilio Capituli his Beneficiis curam aliquam ſpiritualiam imponat, aut ſi utilius videatur, ea Beneficia vicinioribus Parochialibus Eccleſiis uniat: beneſicium enim ſine officio eſſe neque debet, neque poſſe teſt.

VII. Hæc Beneficiorum unio & incorporatio facile & ſine oppoſitione fieri poterit, ſi Beneficiorum collatio pleno jure ad Episcopum pertineat: at ſi ad alium collatio, vel præſentatio ſpectet, difficile hic admittetur unio, niſi ipſe Collator aut Patronus, alique intereſſe habentes legitime fuerint interpellati & auditi; quemadmodum in unionibus obſervandum eſſe Canones præſcribunt.

VIII. Quin ſi ipſa Beneficia fuerint Patronatus laici, nequaquam admittetur unio; niſi ipſius Patroni conſenſus accedat.

In ipſa Concilii Trident. in Belgio promulgatione appoſita fuit ad dictum *cap. 18.* hæc nota: "Committitur Episcopi cura erigendi Seminarii pro inſtitutione adoleſcentium in diſciplinâ Eccleſiaſtica, etiam cum incorporatione, ne & applicatione fructuum Beneficiorum juriſ patronatus laici, & hoſpitalium, & decimarum ſecularibus competentium, & deinde quædam præſcribuntur obſervanda in collationibus Beneficiorum quæ ſcholasticæ dicuntur. Monent hæc rurfum, tangi jus patronatus, decimas laicorum, & fundationes Regias.

Quæ notâ fat indicant, conſenſum laicorum eſſe neceſſarium, quemadmodum notant ad *cap. 5. ſeſſionis 21.* ubi de unionibus agitur; & hæc nota appoſita fuit: "Potestas ſit Episcopis ex juſtis cauſis, uniones faciendi Eccleſiarum & Beneficiorum. Sed monent Concilia Regia opus eſſe placito Regio, & conſenſu Patronorum Laicorum.

IX. Ut verò facilius eſſet Decreti executio, voluit Synodus: "ut ſi vel pro unionibus, ſeu proportionum taxatione, vel aſſignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione agatur, & difficultatem oriri contingerit, ob quam hujus Seminarii inſtitutio vel conſervatio impeſtetur, aut perturbaretur: Episcopus cum ſupra deputatis, vel Synodus provincialis, pro regionis more, pro Eccleſiarum & Beneficiorum qualitate, etiam ſupra ſcripta, ſi opus fuerit moderando, aut regendo, augendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem hujus Seminarii profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat.

X. Hic apparet, Episcopum circa uniones, aſſignationes, & taxationes cum plenaria & ampliffima poteſtate judicem conſtitui; nihilominus ſi Episcopus, vel uniendo, vel taxando, aliove modo decernendo, videatur aliquid contra juris Ordinem, & perperam decreviſſe, hæc quaſtio non coram ipſo Episcopo ejuſve tribunali erit agitanda; ſed coram legitimo judice ſuperiore; quemadmodum in caſu occurrente reſpondit, & ſolidè obtendit Zypæus *Reſp. 1. De Magiſtris.*

XI. Porrò ad evitandas difficultates, nec non faciliorem operis executionem, Episcopi Seminaria extruere intendentes ſolent implorare auctoritatem Regiam; atque Litteras Regias impetrare, quibus & ipſa Seminarii conſtructio probetur; nec non inſuper auctoritas uniendi Beneficia; aut certas penſiones ſuper quibuſdam Beneficiis imponendi conceditur; quarum litterarum plura exemplaria extant in actis Cleri Gallicani *tom. 1. ſit. 1. cap. 5.*

XII. Ut tamen Episcopi in hac Seminariorum extruptione, & mediorum applicatione ſecurius, ac majore cum circumſpectione procedant, Synodus Tridentina præcipit, ut Episcopi hæc omnia agant cum conſilio duorum de Ca-

pitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur. Itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat.

XIII. Hi quatuor diſtincti ſunt ab illis duobus Canonice ſenioribus & gravioribus à ſolo Episcopo eligendis, quorum conſilio quæ ad diſciplinam Seminarii ſpectant, ab Episcopo ordinanda ſunt.

Sex illos Deputatos in Synodo Diœceſana, partim à ſe, partim à Capitulo & Clero electos pronuntiavit Archiepiſcopus Mechlinienſis *tit. 20. cap. 1. § 2.* Duos quidem quorum conſilio in conſtituendis regulis, electione pueroꝝ ſingularum introducendorum, diſcipulorum expulſione, Magiſtris conſtituendis, viſitatione ac ſimilibus ſemper utatur.

Quatuor verò aliorum Deputatorum "Conſilio in tota temporali adminiſtratione, Beneficiorum unionibus, caeterisque hujusmodi utatur.

Similiter Episcopus Namurcenſis anno 1659. in ſua Synodo *tit. 21. cap. 8. 9. § 10.* ſex Deputatos eundem in ſinem electos declarat.

XIV. Hi omnes Seminarii Deputati habent votum dumtaxat *conſultivum*, non *decifivum*; & quamvis eorum conſilium Episcopus requirere teneatur, non tamen ſequi jubetur; uti decifum reſert Barboſa in *Collectaneis ad cap. 18. ſeſſ. 23. Concilii Tridentini.*

CAPUT IV.

De Collegiis Academicis.

1. Olim etiam fuerunt Schola publica.
2. Erigere Scholas publicas pertinet ad ſupremam poteſtatem.
3. Synodus Pariſienſis ſeculo 9. erectionem hujusmodi Scholarum poſtulavit.
4. Cur ha Schola dicta Univerſitates?
5. Varia privilegia & prerogativa his Scholis conceſſa.
6. Ad has Scholas plures viri Eruditi, & major copia ſtudioſorum ſolent conſuere.
7. In Univerſitatibus & ſignanter in hac Lovaniienſi varia erecta Collegia; & quare?
8. Collegia hæc ſuos ſpeciales habent proventus, diverſimode impendendos.
9. Ad Collegia ſumptibus collegii alendi ordinariæ non niſi pauperes admittendi.
10. Præter Præſidem Collegii ſunt & Collegiorum Proviſores; & quod horum officium.
11. Diſciplina Collegiorum præcipue dependet à Præſide.
12. Norma vivendi præſcripta Collegiorum non abſimilis diſciplina Seminariorum.
13. Oſtenditur exemplo Collegii Adriani VI. ſive Pontificii.
14. A quo, & quando hoc Collegium fundatum?
15. Quis huic præſit? & qui admittendi?
16. Examen quod circa admittendos inſtituitur.
17. Non convenit, ut Fundatores paſſim conſanguineis ſuis deni prerogativam ad Burſas.
18. Judicium Tilmanni Clerici de fundatoribus Burſarum cum conſanguineorum prerogativa.
19. Admiſſi ad Collegium per exercitia ſpiritualia ſe recolligunt; qua in decurſu Theologico ſapius reſistant.
20. Qua hujus Collegii exercitia quotidiana ante meridiam.
21. Qua pomeridiana?
22. Plures habentur hebdomadarum lectiones collegiſtica.
23. Qua ſint ſpecialia exercitia diebus Dominicis & Feſtivis?

24. *Commissationes & potationes non frequentantur.*
 25. *Quomodo ad Oras accedant?*
 26. *Episcopi capiores ad collegia Academica misterere solent; & quare?*
 27. *Quid in hac missione Episcopi attendere debeant?*



Præter Scholas Episcopales sive Seminaria, in quibus Clerici aut ad Clerum assumendi instituebantur & erudiebantur, jam pridem etiam instituta fuere Scholæ publicæ; non quidem in singulis civitatibus sed quibusdam dumtaxat celebrioribus; idque supremâ auctoritate.

II. "Regium plane munus est (ait Choppinus *lib. 3. De Domino Gallico tit. 27. num. 1.*) Scholasticas Universitates instituire, non Procerum Gallie inferiorum, Et sane in partibus Regaliorum recensendis, hanc non transierunt Raphael *Consl. 162.* Barbatias, Baldus. Unde si vel Regius frater, cui fiducia lege data sit amplissima civitas, publici in ea Musæi restitutionem, reformationemque mandarit nonnullis, putò Regiæ auctoritatis jus imminutum.

III. Unde anno 829. Patres Concilii Parisiensis ad Ludovicum Pium Imperatorem sermonem convertunt, eum exhortantes, ut tres Scholas publicas, quas Carolus pater ejus inchoaverat, perficere dignaretur. "Similiter etiam (inquiunt) obnixè ac suppliciter Vestræ Celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis imperii Vestri locis Scholæ publicæ ex Vestra auctoritate fiant, ut labor patris Vestri ac Vestri per injuriam (forte incuriam) quod absit labefactando non pereat: quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor S. Dei Ecclesiæ, & Vobis magnum mercedis emolumentum & memoria sempiterna accrescet.

Hic agi de scholis publicis, quas hodie *Academias seu Universitates* dicimus, ex ipso contextu sat manifestum est, & multo ostendit Cæsar Buzæus in historia Universitatis Parisiensis ad annum 829.

IV. Hæ Scholæ dictæ fuerunt publicæ, quod passim omnes artes & scientiæ in illis traderentur, nec tantum Clericis aut ad Clerum assumendis, prout scholæ *Episcopales*, sed omnibus indifferenter adolescentibus paterent; atque inde paulatim *Universitates*, id est, Scholæ *Universales* dici ceperunt.

His scholis earumque Professoribus & Scholaribus varia tum à principibus, tum à Romanis Pontificibus privilegia data fuerunt; nec non mercedes sive honoraria etiam à publico Principis arario, aut civitatum attributa fuerunt; æqualia huic nostræ Universitati tum Pontificum, tum Principum liberalitate plurima, eaque valde ampla privilegia indulgentia fuerunt: quæ in Fastis Academicis ipsius Universitatis Lovaniensis refert Andreas Valerius. Hujusmodi privilegiis & juribus Scholæ Episcopales gaudere non solent.

VI. Privilegiis hæc, nec non constitutis honorariis, hæc Scholæ sive Academiæ instructæ, facile doctiores atque capiores, tam Professores quam Scholares ad se alliciunt; quin & Principibus curæ esse solet, ut hæc Scholæ in omni scientiarum genere floreant, & emineant; ideoque Scholæ *publicæ* in scientiis doctrinaque tradendis privatas qualque Scholas multo antecellere consueverunt.

Unde de Academiis loquens Morinus *De SS. Ordinat. parte 3. Exercit. 23. cap. unico num. 14.* ait: "Instituta Academiæ sunt, ad quas vel ad studiorum & scientiarum emporia undique concursus est, in quibus doctrina Christiana perfectius, diligentius & splendidius, quam in collegiis & Seminariis Clericorum tradita est.

VII. Ut autem non tantum scientiæ, sed & optimis moribus & disciplinis juventus Academica instrueretur, cetera fuere in ipsis Academiis specialia Collegia, ad quæ cum quodam delectu juvenes admitterentur, & sub speciali

Magistorum cura in morum disciplina imbuendi tradentur.

Hujusmodi Collegiis præ reliquis Academiis abundat hæc nostra Lovaniensis.

Præter Collegia docenda Philosophiæ atque juventuti Philosophicæ, nec non linguis ac litteris historiæque ac politicæ scientiæ tradendis deputata, plura sunt superiorum Facultatum alumnis destinata; quæ Seminariis Episcopalis præcipuè ea quæ Theologicæ Facultatis alumnis destinata sunt, admodum similia sunt; adeo ut nonnulla quoque illorum *Seminaria* dici consueverint.

VIII. Imprimis Collegia hæc non secus atque Episcoporum Seminariorum, suos habent speciales proventus, quibus & Collegii Rector seu Præses & alumni, quos *Bursarios* vocant, aluntur; estque horum conditio, pro Collegiorum conditione & fundatione alia atque alia. "Sunt Collegia, in quibus certa pecuniaria summa annua ex Fundatorum dispositione alimentariis præbetur, quæ si alimentis non sufficit, de suo addant necesse est quod vitæ deest. Sunt alia in quibus ex institutione alimenta, focus, lumina, aliæque quedam supilia accedunt. "Ita Andreas Valerius in Fastis Academicis studii generalis Lovaniensis *pag. 286.* edit. 1650.

IX. Porro quemadmodum ad Seminariorum Episcopalia sumptibus Seminarii alendi, soli pauperum filii admittendi sunt, ita omnibus fere Collegiis ex fundationis, vel dotationis lege commune est, ut solos *pauperes* ad Bursas admittant ipsique Collegiorum proventus in pauperum usus impendi debeant; nec id dumtaxat in Collegiis Theologicæ Studii destinatis, sed & pro Jurisperitis aliarumque scientiarum studiosis fundatis verum est.

De Joanne De Winckele Fundatore Collegii Winckeliani Juris alumnis destinati, refertur in citatis Fastis Academicis *pag. 300.* "Studentes seu Bursarios Winckelii pater alium voluit *pauperes*, quibus in studio juris alendis, scholisque continuandis, parentes commodè dare aut suppeditare annuè non possint.

Similiter de Eustachio Chapuys Collegii Saubaudici studiosis tam Juris, quam Theologiæ communis, fundatore, in eisdem Fastis *pag. 310.* legitur: "Heredes institui *pauperes* bursarios per eum in oppido Lovaniensi erecto & fundato pro tempore futuris, ipsamque Collegium pro perpetua ejus fundatione, dotatione, & intertentione, sive prædicti Collegii Provisores, nomine & ad opus eorum, dem *pauperum, &c.*

Si Collegiorum pervolvantur & examinentur fundationes & dotationes, apparebit, passim omnium fuisse mentem, bursas non nisi pro *pauperibus*; hoc est, qui attentis omnibus commodè à parentibus in studiis ali non possent, fundatas esse; atque ita Fundatores voluisse, bona sua Christi pauperibus in bonum Ecclesiæ & Reipublicæ impendi; ac propterea proventus illos posse dici *Patrimonium Christi*.

Ut proinde non immeritò Franciscus Hovius, qui anno 33. præsentis seculi 17. fundans Collegium, voluerit "illud institui cum hac inscriptione: *Patrimonium Christi*, atque intrinsecus ad ingressum Collegii scribi aut insculpi hæc verba: *De stercore erigens pauperem.* "Fasti Academici *pag. 328.*

X. Præter Præsidentem sive Regentem penes quem studiorum & morum directio & correctio, totiusque familiæ cura immediate residet, habent singula Collegia suos particulares Provisores, vel ab ipsis Fundatoribus designatos, vel ab Universitate, aut certis Facultatibus pro tempore eligendos.

Horum munus est, statis anni temporibus collegia visitare, in mores ac studia bursariorum inquirere, imò & horum adversus Præsidentem querelas audire, examinare casus difficiliore, majorisque momenti negotia una cum Præsidente resolvere, rationes administrati collegii quotannis exigere & audire. Quin & Præsidentem constituendi auctoritas

penes

penes Provisores esse consuevit, nisi in ipsa fundatione aliter cautum sit; ex hac enim dependet plurimum ipsa Provisorum auctoritas, præsertim circa Præsidis electionem bursariorumque admissionem.

Disciplina in Collegiis servanda dependet partim ex generalibus legibus Universitatis, partim ex singulorum Collegiorum statutis ac ordinationibus, tum à Fundatoribus, tum Provisoribus aliisque Superioribus pro varia Collegiorum & temporum conditione præscriptis.

XI. Ceterum sicuti Seminariorum bona malave disciplina præcipuè non dependet à legibus, sed ab exacta rectaque harum executione; ita circa disciplinam Collegiorum contingit.

Hinc ulterius fit, ut quemadmodum Seminariorum recta institutio maximè habetur à provida Rectoris aliorumque, quibus eorum regimen commissum est, vigilantia; ita quoque Collegiorum recta institutio unicè ferè à Præsidentum vigilantia dependet: ut propterea qui Collegia bene regi ac institui desiderant, ante omnia solliciti esse debeant, ut providus, prudens, doctus, piusque Præsides præficiatur; qui legum ac statutorum executionem verbo & exemplo urgeat & persuadeat.

XII. Statuta legesque Collegiorum, præsertim Theologiæ studiosis destinatarum, si attendantur, apparebit, disciplinam normamque regimini, saltem quoad præcipua puncta, esse non abhincilem disciplinæ, quam Seminariis Episcopalis jam pridem Canones præscripsere, & S. Carolus in suis servatam voluit; neque horum Collegiorum disciplinam minus aptam & convenientem esse formandis Ecclesiæ ministris & Pastoribus, quam Seminariorum: si modo rite servetur.

XIII. Et ne fusior sum, quam præfens hoc meum institutum permittit in recensendis omnium Collegiorum statutis & legibus, aut eorum vivendi disciplina, unius dumtaxat Collegii Pontificii (quod per viginti tres circiter annos continuos pro domicilio habui & habere pergo, cujusque propterea disciplina regimineque, atque instituendæ juventutis norma perfectius mihi perspecta est) disciplinam referam.

XIV. Collegium vulgò *Pontificium* dicitur à primo suo Fundatore Adriano VI. Pontifice Maximo, qui illud anno vigesimo tertio proximè elapsi seculi erigi iussit; relicta eum in finem domo aliisque nonnullis quæ ante Pontificatum sibi comparaverat; quemadmodum suo testamento declaraverat; uti videri potest in Fastis Academicis *pag. 304.* ubi plura ad hanc fundationem spectantia, nec non dotationes sive Bursarum fundationes quæ primæ fundationi accesserunt, referuntur.

XV. Collegio huic modò præest ab anno circiter 1677. Eximius Vir Gumpmarus Huygens Doctor Theologus, à doctrina, eruditione morum integritate, & in agendis prudentiâ & regendo suavitate & moderatione singulari atque conversandi affabilitate omnibus notus.

Ad hoc Collegium soli admittuntur, qui studio Theologico incumbere, idque animo statum Ecclesiasticum assumendi intendunt.

XVI. In assumptione serium circa capacitatem, indolem, moremque admitti postulantium examen à Præsidente instituitur; præsertim cum de assumendis ad Bursas, sive sumptibus Collegii alendis tractatur.

Hic vel maximè sollicitus est Præsides, ut sine ulla personarum acceptione, magis merentibus, & de quibus major est affulget ut in strenuo Ecclesiæ operarios evadant, distribuantur; hoc unum frequenter ingemiscens, quod nonnulli Bursarum Fundatores nimium carni & sanguini indulgentes, consanguineis suis, tametsi sæpe exiguæ capacitatis & expectationis prærogativas dederint, atque hinc impediatur, capacissimos quosque promovere & assumere.

XVII. Fundatores Bursarum, qui consanguineis suis, etiam cum extensione ad multos gradus, & nullis penè terminis circumscriptam prærogativam tribuunt, merito ac

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

tendant, quod si eas ex bonis Ecclesiasticis fundent, re ipsa suos consanguineos quodammodo heredes faciant.

Uterius ex illa, præsertim illimitata consanguineorum prærogativa ad Bursas Theologis destinatas, contingit, quod frequenter inepti planè, nec ullatenus à Deo vocati studio Theologico & statui Ecclesiastico à parentibus, commodo harum Bursarum allectis, applicantur, imò quæ si intrudantur; atque ita Fundatores plus subinde Ecclesiæ per similes fundationes obfunt, quam profunt.

XVIII. D. Tilmannus Clerici secundus Præsides Collegii Adriani sexti qui obiit 1550. 3. Oct. inter alia sic habet: "Si Præsides & Provisores velint Collegio prospectum esse de concordia & perseverante disciplina, caveant suscipere fundationes Bursarum ad illos de sanguine aut patria adstrictas, nisi forte ceteris paribus aut parum discrepantibus, ita quod Præsides habeat illarum sicut aliarum, collationem & dispositionem.

XIX. Admissi ad collegium sive expensis collegii, sive sumptibus parentum alendi, per dies aliquot ad locum exercitii spiritualibus destinatum se retrahunt; ut de vitæ Clericalis ratione, studioque Theologico rite instruendis seriò deliberent; & per sanctas meditationes se præparent, & specialiter instruantur.

Quod ipsum ab admittendis ad Seminarium observari voluit S. Carolus; eodem modo, ait, quo ex constitutione nostra consueverunt, qui ad majores Ordines sunt promovendi.

Quin S. Carolus vult ut "transacto vocationum tempore, reverti in Seminarium exercitationes spirituales, unius saltem hebdomadæ spatio illi ineant Clerici, quibus à Rectore iustum fuerit.

Licet circa exercitationes spirituales in decursu Theologico instituendas nulla sit in hoc collegio specialis lex; nec soleant à Præside ad eas urgeri priusquam sacris Ordinibus sint initiandi, nihilominus is fere mos invaluit, ut plerique annis singulis aut circiter, has spirituales exercitationes repetant.

XX. Quotidiana tum studiorum, tum pietatis, aliaque communia exercitia hac ferè ratione & ordine instituantur.

Mane ad medium quintæ excitantur, & ad horam quintam omnes in Sacellum Collegii conveniunt; ibique per semi-horam meditationi seu orationi mentali vacant; hanc immediate subsequitur Sacrum, cui omnes assistunt. Hoc finito, retrahunt se singuli ad sua cubacula, ibique studiis incumbunt quousque tempus lectionum publicarum, aliave exercitia scholastica alio vocent.

Diebus tamen Sabbathinis solet finito Sacro per Præsidentem haberi aliqua brevis exhortatio de iis, quæ præcipuè Theologis & Clericis conveniunt; ac præsertim ut ipsi necessitatem, utilitatemque orationis inculcet; nec non ut omnis ex ipsorum animis sitis & aviditas Beneficiorum tollatur, & ostendatur quam inordinatum ac turpe sit, ut in imilitia Christi lucra seculi quarantur.

Ad medium duodecimæ rursus ad Sacellum convenitur ibique per quadrantem meditationi sive orationi mentali vacatur; qua finita ad mensam acceditur, & sub initium prandii aliquid è Sacra Scriptura prælegitur.

XXI. A sumpto prandio recreationis tempus datur usque ad horam secundam, quando ad publicas rursus lectiones aut studia se retrahere debent. Medio septimæ iterum ad Sacellum conveniunt usque ad horam septimam, meditationi & recollectioni vacantes.

Diebus Sabbathinis cantantur Laudes; atque initium semper fit à Litanis Lauretanis D. Virginis.

Hora septima ad mensam cenaturæ accedunt, atque iterum initium fit à lectione S. Scripturæ; & sub finem aliquid ex alio pio libro à Præside designando legitur.

Post cenam vacatur usque ad medium nonam, hora verò nona liberum est se quieti dare.

XXII. Præter lectiones & exercitationes publicas, habent